5a

Nobilissime et amplissime Domine,

Dissertationis tuae de usu et abusu Organorum duo exemplaria accepi: quorum alterum nobiliss. Heroinae nostrae Schurmannae tradidi. Agit ipsa gratias pro munere hoc literario; ago et ego, quas possum maximas. Judicium meum voluissem nunc quidem perscribere, nisi impedivissent aliae quaedam meditationes, quarum editio nunc urgetur; et accuratiori diatribae aliquando publicandae totum hoc, quidquid est, reservarem. Schurmannae nostrae eicona, quam ipsa pinxit et sculpsit, si forte nondum videris, hic exhibeo, atque una versiculos, quibus nuper abituriente hinc eximio I. C. D. Schotano remoram injicere conata est; sed frustra. Deum precor, te spiritu suo gubernet; ut raro atque admirando exemplo verae sapientiae et pietatis studia loco ac saeculo tam importuno pro viribus porro ornare ac promovere pergas. Ultrajecti VIII Eid. Mart. CIↃ.IↃC.XLI.

Nobilit. et Amplitud. tuae
observantissimus
Gisbertus Voetius.

Voetius (Gisbert), jurisconsulte hollandais, écrivain protestant

© Koninklijke Bibliotheek
72 D 37, nr. 5a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2670

Nobiliſs. et Ampliſs.

Conſtantino Huygens equiti,
toparchæ in Zuylichem, et
Celſiſs. Principi Arauſio-
nienſi à ſecretis.

Hagam-comitis.

© Koninklijke Bibliotheek
72 D 37, nr. 5a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2670